LEONIS ALLATII DE IOANNA PAPISSA Fabula

COMMENTATIO.




ROMAE, Ex Typographia Reu. Cam. Apost. MDCXXX.

Cum licentia Superiorum.

LEONIS ALLATII DE IOANNA PAPISSA Fabula.

COMMENTATIO.



E Ioannæ Papissæ fabula, vere fabula, & Hæreticorum impostura, plures ex recentioribus, nonnulla, leuia illa quidem, & incompta, & ab omni verisimilitudine aliena, titubantium in morem, tradiderunt. Hi nullum ad hoc pondus habent, cum nec auctoritatem habeant, quam vel natura, vel tempus affert. De Hæreticorum nugis non laboro. Ad fidem quippe faciendam, minime ab homine nobis infenso testimonium sumendum est: & ea, qua construuntur facilitate eorum mendacia, destructa corruunt.

Si qui sunt, qui veterum testimonio nugas hasce probare nituntur ad Marianum Scotum, Sigebertum Gemblacensem, Martinum Polonum, tamquam huius rei assertores, se referunt; sed inani conatu. Nusquam enim Auctores hi tale figmentum,

quod ne somniarunt quidem, scripserunt; etsi Hæreticorum fraude in eorum historia innexum deprehendatur.

De Mariano Scoto, Vide Notatorem in Metropolim Krantzij lib.2. cap.2 pag.100. Editionis Coloniensis, anno 1574 Etsi notam illam Typographi Francfordienses eraserint. Myræum in Chron. Sig.berti, Nicolaum Serrarium in rebus Mogunciacis, Floremundum, & alios. Nec leue est argumentum, nullum ex fabellæ huius assertoribus post Marianum, in suæ sententiæ patrocinium, illum laudasse.

De Sigeberto, vide eundem Myræum ibidem, Ioannem Molanum, Alanum Copum, Dialog. 1. cap.8. Suffridum Petrum, Annotat. in Chron. Martini Poloni. Non leuis est coniectura, Vincentium Bellouacensem, Spec. Histor. lib 25. cap. 36. & Gulielmum Nangiacum in Chron. qui Sigebertum in historia præsertim horum temporum de verbo ad verbum bona fide descripserunt, Ioannæ Papissæ neque per somnium meminisse.

Vnus omnium reliquus erat Martinus Polonus, solus commenti huiusce auctor: ideoq; à pluribus scriptoribus male habitus, etsi immerito. Chronicum eius ab alijs pessime corruptum fuisse olim deprehenderat Suffridus Petrus; ideoque fide M.S. Codicum emendatum, in melioremq; formam, vt ipse asserit, redactum edi curauit Antuerp. apud Plantinum 1584. Verum Ioannem Papissam in eius historiam ab alijs intertextam fuisse, ope illorum Codicum, vel aliorum nusquam deprehenderat; Quare nihilo immutato fabellam hanc, vt erat, publicauit: notauit tamen Codices M.S. quod & verissimum est, neque excuso omnes, neque singulos inter se congruere, & in Codice Tongerloensi M. S. nec numerum, nec nomem haberi in Catalogo Pontificum; sed Leoni præcedenti historiam eius veluti fabulamentum appendicis loco adiectam.

Exemit dubitationem omnem Vrbanus VIII. Pont. M. cuius nutu, & auspicio, omnia sibi felicia, faustaq; vniuersus terrarum Orbis sentit. Quippe illo auspice, prudentiæ radio omnia collustrante, res humanas, diuinasq; rectissime regi cernimus, pleraq; etiam temporis vitio, vel fraude hominum absumpta, occultaq; in apertum venire. Quod multis alijs manifestum fit; sed eo præcipue, quòd dum impostores insolentissimi libellum de hac fabula in Christianorum perniciem lingua Italica editum publi-

publicant, tres Auctores sub felici tanti Principis auspicio longo terrarum tractu dissiti, dispersiq; in varias partes, per tot secula in tineis, latebrisq; latitantes lucem aspiciunt vno eodemq; tempore, vt ita dicam, Romæ; quibus potissimum hæc Hæreticorum fraus detegitur, imposturaq; disploditur, Martinus Polonus scilicet, Photius Patriarcha Constantinopolitanus inter libros ab Episcopo Lollino Summo Pontifici legatos, & Metrophanes Smyrnæus, vna cum Bibliotheca Palatina Romam aduectus, qui in Bibliotheca Pontificia antea minime reperiebantur. Isti tres ex composito in dictum commentum veluti conspirantes, & Vrbano Pontifici vno ore plaudentes, Vaticanum ascendunt, Hæreticorum deliria iugulaturi.

Vrbanus itaque Bibliothecæ Vaticanæ, quam antea multis peregrinorum Auctorum Manuscriptis Codicibus, ijsq; vetustissimis, optimæq; notæ auxerat, Codicem Martiniani Chronici asseruandum dederat. Erat ille antiquissimus omnium, qui in dicta Bibliotheca antea erant, charactere non ineleganti, multis tamen in locis propter vetustatem fugiente. In eo historiæ Pontificum dextra, læua Imperatorum ita interstinctæ legebantur, vt quid quoque anno Pontifices, quid Imperatores, quid exteri egissent, vnico aspectu poneretur ob oculos. Post præfationem à Natali Christi ad sua vsque tempora historiam prosequitur. In eo nihil de quatuor maioribus regnis, Vrbis Romanæ exordio, nihil de Vrbis portis, plateis, templis, regimine, alijsq; fabulamentis, quibus Chronicon illud male audijt, pessumq; abijt Auctoris nomen: sed omnia plana, & recta.

Ex quo manifestum est Chronica, quæ sub Martini nomine, vel typis, vel scripto circumferuntur, ab integritatis suæ gradu deturbata, aliorum imperitia, vel negligentia, vtinam non maleuolentia fuisse. Vnusquisque enim, quæ ipse digna memoria iudicabat, addidit, erasitq; quæ sibi indigna lectu videbantur.

In integerrimo itaque hoc exemplari post vitam Leonis IV. nulla fit Ioannæ Papissæ mentio, neque ex fama aliorum, neque in margine, eadem, vel aliena manu scripta. Et si totum perlegeris, nullum de hac re verbum inuenies, neque aliorum industria erasum, quod serie rerum, & pagellæ tractu clarissimum est. Cum Leonis vita in vna pagina non finiatur, sed alterius sequentis su-

periorem partem occupat: poſt quam immediate Benedictus Tertius patria Romanus ſequitur, & deinceps Nicolaus Primus. Quibus iam euidens eſt, totum hoc ab Hæreticis Martiniano Chronico fuiſſe innexum; tantiq; Codicis ope, leui ſuffultum patrocinio mendacium cadere, quòd non Martinum, ſed alios errones, quorum nulla fides eſſe debet, agnoſcit.

Perpende, Lector, ſilentium illius temporis ſcriptorum, qui de commento hoc ne verbum quidem, quod nuſquam tacuiſſent: quin ni pudor, & rerum humanarum reuerentia continuiſſet, audacter, impudenterq; fuiſſent commenti, quando illos non puduit atrociora in Romanam Eccleſiam machinari, prodigioſioribuſq; mendacijs conflatis palam mentiri.

Photius Patriarcha C. P. mortalium omnium ſceleſtiſſimus, vno verbo ἐλέγχων ζώντων, turbat, illo eodemq; tempore, quo Ioannes iſte Anglicus fingitur, totam orientis oram, ad defectionemq; contra Romanos Pontifices omnes compellit, quod vt aſſequatur facilius, & ore, & calamo, factiſq; etiam immaniſſimis in eos, non mendacia, ſed prodigia tentat. Is dum lib. 1. de Spiritus Sancti proceſſione aduerſus Latinos agit, cuius illud eſt principium, Ἐν πολλοῖς μὲν ἐςὶν οἱ ἔλεγχοι πολυειδέσι ἐσπαρμένοι λόγοις, δι' ὧν ὁ ὀρθῶς κατασπᾶται τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατέχων: Pontifices Romanos illo tempore, quo ipſe viuebat Romanam Eccleſiam regentes, enumerans, non ſine maximo eorum ſanctitatis, prudentiæ, doctrinæq; elogio, ad quod velut Aſpis, licet inuitus vi trahitur veritatis, quod libens odio in illam Sedem obticuiſſet, nullam inter eos huiuſce mulieris, quæ Paparum ambierit facit mentionem, ſed diſertiſſimis verbis Leoni Quarto Benedictum III. ſubdit, cuius ſucceſſores Ioannem, & Hadrianum fatetur. En ecce illius verba, χθὲς καὶ οὔπω δευτέρα γενεὰ παρῆλθεν, Λέων ἐκεῖνος ὁ περιώνυμος, ὁ καὶ θαύμασιν ἔχων ἐςὶν οὗτος ἐνσεμνύνεσθαι, πᾶσαν ἁπάντων ἐκκόπτων πρόφασιν αἱρετικήν. Ideſt. *Heri, & nondum ſecunda generatio præterijt, nobilis ille Leo, qui & miraculis editis poteſt gloriari, omnem omnium excidens prætextum Hæreticorum.* Et inferius, Ἀλλὰ καὶ ὁ πρᾶος, καὶ ἐπιεικὴς, καὶ ἀσκητικοῖς ἀγῶσιν ἐναγλαϊζόμενος ὁ κλεινὸς Βενέδικτος, ὁ μετ' ἐκεῖνον [τὸν Λέοντα] nota verba: τοῦ ἀρχιερατικοῦ θρόνου διάδοχος, τὸ αὐτὸ τοῦ στέργειν, καὶ κρατύνειν, οὐ τὴν δευτέραν τάξιν ἔχειν, ἀλλ' οὐ καὶ δευτερεύειν αὐτὸν ὁ χρόνος ἀπέστησεν. Ideſt, *Sed & mitis, & manſuetus, & aſceticis*

ticis certaminibus illustris inclytus Benedictus post eum (Leonem) *in Archieratico Throno successor hoc idem, amplectendo, & confirmando haud secundus esse nitebatur, licet tempore secundus esset*. His addit in Nicolaum Pontificem Benedicti successorem, & si tacito nomine, iurgia. postremo Ioannis, & Hadriani meminit. Quis crederet procacissimum hominem, vel leuissima suspitione motum hæc tacuisse? Qui in ipsis etiam Pontificum penetralibus venales habuisse delatores, qui de omnibus illum certiorem redderent, verisimile est. Medius potius dirumpi miser maluisset, quam nam iam hanc ita Pontificum gloriæ perniciosam tacere.

Et hoc Photio turbulento homini maiorum negotiorum pondere vexato, quasi incauto, quod tamen re aliter se habebat, semel excidit? Perpetua est illi, & semper vna, quam supra posuit Pontificum Romanorum series; & Leoni Benedictus successit. In tractatu enim contra Latinos, Spiritum Sanctum tantum à Patre procedere, non item ex Filio, cuius ille est titulus. Κατὰ τῶν τῆς παλαιᾶς Ῥώμης, ὅτι ἐκ τοῦ πατρὸς μόνου ἐκπορεύεται τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀλλ' οὐχὶ καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ, hæc habet. Λέων δὲ, καὶ Βενέδικτος, οἱ μεγάλοι Ῥώμης ἐς ὕστερον ἀρχιερεῖς ἑλληνιστὶ κατὰ τὴν ἱερὰν μυσταγωγίαν, ἀναφωνεῖσθαι τὸ Σύμβολον τῆς πίστεως ἐν τῇ Ῥώμῃ, καὶ ταῖς ἄλλαις ὑπ' αὐτὴν ἐκκλησίαις ἐνομοθέτησαν. Idest, *Leo & Benedictus magni deinceps Romanæ Ecclesiæ Antistites Græce inter sacra Missarum solemnia Romæ, alijsq; Ecclesijs Romæ subiectis fidei Symbolum recitari, lege lata, sanxerunt*.

Metrophanes Smyrnæus alius tunc eodem tempore Romanæ Sedis impugnator, Pontificum sui temporis catalogum, lib. quem de Spiritus Sancti diuinitate, eiusq; ex solo Patre processione conscripsit conficiens, Benedictum immediatum Leonis successorem cognoscit. Βενέδικτος δὲ μετ' ἐκεῖνον, Leonem, τοῦ ἀρχιερατικοῦ θρόνου διάδοχος. Benedicti successores, Nicolaum, Hadrianum, Ioannem commemorat. De Ioanne Papa fœmina ne verbum quidem, quod vel leuissimo rumore fecisset. Ex horum dictis satis patent optimi tunc in Ecclesia Pontificum mores, Christiana prudentia, religio immaculata, vitæ ratio integra ab hostibus etiam prædicata.

Iisdem cum Photio, & Metrophane temporibus, pius, & veritatis Catholicæ tunc, cum hæc scribebat, contra Photianos

assertor

assertor, Stylianus Neocæsareiæ Euphratesinæ Prouinciæ Episcopus, epistola, quam vna cum Episcopis, qui cum eo erant, reliquisque Presbyteris, Diaconis Ecclesiæ Constantinopolitanæ, omnibusq; ad Orientem, & Occidentem Cœnobiorum Præfectis, Presbyteris, Monachis, & Anachoretis, ad Stephanum Papam miserat, in qua fraudes, dolosq; Gregorij Syracusani, Petri Sardorum, Eulampij Apameæ Episcoporum, aliorumq; factionis Photianæ prosequitur, Benedictum Leonis successorem agnoscit. *πλησθέντος δὲ*, inquit, *τοῦ μακαριωτάτου Πάπα Λέοντος, ἐκεῖνοι τῷ μετ' αὐτὸν Βενεδίκτῳ τῆς Ῥώμης Πάπᾳ, πάλιν δι' ὄχλου γεγόνασιν περὶ τῶν αὐτῶν. ἀλλ' ὁ ἁγιώτατος Βενέδικτος ἀκριβῶς καὶ αὐτὸς ἐξετάσας τὸ πρᾶγμα τὴν κατ' αὐτῶν ἐκείνων Ἰγνατίῳ ἐκύρωσεν.* Idest, *Leone inde beatissimo Pontifice ex humanis sublato illi*, loquitur de Gregorio Syracusano, & socijs primum ab Ignatio Byzantij, secundo Romæ à Leone, quidquid alij dicant, excommunicatis, exauctoratisq; *rursum Benedicto Pontifici Romano, qui Leoni successit, de ijsdem rebus molesti fuerunt. Verùm sanctissimus Benedictus re diligenter examinata sententiam aduersus illos, vt Ignatius illam tulerat, pronunciauit.*

Ad optimam præclaramq; prædam hic veluti cumulus accedit. Non vnus hic auctor, vel alter, vel tertius, *μυριάδες ἀναρίθμητοι, καὶ ἄμετροι.* Stylianus ipse est, cæteriq; omnes consortes Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Orientis, & Occidentis Cœnobiorum Præsides, Monachi, Anachoretæ, numerus prope innumerus, qui scribunt, ijsdem illis temporibus, quibus fabula fingitur. Audi ipsum Stylianum. *ἐγὼ δὲ καὶ οἱ σὺν ἐμοὶ Ἐπίσκοποι, Πρεσβύτεροι, καὶ Διάκονοι, καὶ πάντες οἱ κατὰ τὴν Δύσιν, καὶ Ἑῴαν Ἡγούμενοι, Μοναχοί τε καὶ Ἡσυχασταὶ πλῆθος ἀναρίθμητον.* Tot homines in re apertissima, si fuisset, palam mentiri, tot oculi in meridie non videre, non potuerunt, tot ora, tantum scelus, famaq; iam diuulgatum, conticescere. Paucis multa imposueris: rem aliter, ac gesta sit, sed paucis obtrudes, at multis te probando, multos fallere, fieri omnino nequit. Non omnes aqua ratione & animum vincere, & iracundiam cohibere, nec possunt affectus suos moderare, vt simili studio ad omnia incendantur; & præsertim si libertas omnia agendi, dicendi ue sit.

Audiuimus Stylianum, pietatis, & veritatis amatorem: audiamus, & hostem. Fortasse enim amicis adulans, laudes exposuit,

oppro-

opprobria conticuit. Septimo post anno a data epistola stolide per amicos, & cognatos inflatus, relicto veritatis tramite, in contraria versus dogmata, cum Photianis societatem inijt, & in Romanam Ecclesiam oblatrauit. Non habuit, quid illi obijceret, præter inconstantiam doctrinæ, sententiarumq; pugnantiam. Scribit enim, Stephanum Papam, in eadem re, & epistola contraria scripsisse; vt qui in prima epistolæ parte iure Photium eiectum, in postrema affirmat, eundem pro legitimo Antistite habendum. Vir iste satis petulans nusquam fabellam istam de Ioanna, si fuisset, occultasset. Illa quippe audacius suas partes potuisset tutari.

Quid plura? Constantinopolitana Ecclesia, illo ipso fere tempore, primo Formosi anno, post annos trigintatres, non priuatim, sed publice, & in triuijs, vt ita dicam solemni inscriptione omnibus testatum facit, nullum alium post Leonem, nisi Benedictum in illo Throno sedisse. Quippe in Embolo, seu porticu Magnæ Eccl. literis omnibus patentibus dum 8. Oecum. Synodi Breuiarium affigit, hæc etiã alijs testata voluit, ὁ γὰρ Πάπας Λέων, καὶ ὁ Βενέδικτος, καὶ ὁ Νικόλαος τὸν Γρηγόριον ἀνεθεμάτιζον. Idest, *Pontifex namq; Leo, & Benedictus, & Nicolaus Gregorium anathemate damnabant*. Et μέχρι τῆς σήμερον τεσσαράκοντα πέντε ἔτη ἀναθεματίζεται Φώτιος περιδήλως ἀπὸ τοῦ Πάπα Λέοντος ἕως τοῦ Φορμόσου. ἕνδεκα γὰρ ἔτη ἀνεθεματίζετο κοσμικὸς ὤν, ὡς κοινωνὸς τῷ καθῃρημένῳ καὶ ἀναθεματισμένῳ Γρηγορίῳ τῷ Συρακούσης, καὶ ἄλλα λδʹ ἀφ' οὗ ἐγένετο ἀββᾶς. ὁ γὰρ Πάπας Λέων, καὶ ὁ Βενέδικτος, καὶ ὁ Νικόλαος τὸν Γρηγόριον ἀνεθεμάτιζον κατὰ πολλὰς τὰς ἀτόπους αἰτίας. ἐπεὶ δὲ ὁ Φώτιος παρὰ τοῦ καθῃρημένου ἐχειροτονήθη, καὶ δι' ἄλλα μέν, ἀλλὰ καὶ διὰ τὸ δέξασθαι παρ' τούτου τὴν ἱερωσύνην ἀναθεματίζεται ὑπὸ τῶν ἐννέα προέδρων τῆς Ῥώμης, Λέοντος, Βενεδίκτου, Νικολάου, Ἀδριανοῦ, Ἰωάννου, Μαρίνου, Ἀδριανοῦ ἑτέρου, καὶ Φορμόσου. *Photius quadraginta quinque annis ad hodiernum vsque diem, palam anathemate feritur a Leone Papa, vsque ad Formosum. Nam annos vndecim anathematizatur sæcularis, & laicus; tamquam qui cum Gregorio Syracusano exauctorato, anathematizatoq; communicaret, & alios triginta quatuor, postquam sacris initiatus est. Etenim Leo Pontifex, & Benedictus, & Nicolaus Gregorium propter varias causas anathemate damnabant. Vbi verò Photius a damnato consecratus est, cum propter alia ipsius facinora, tum quòd sacris à Gregorio esset initiatus, anathematizatur a no-*

nem Romanis Pontificibus, Leone, Benedicto, Nicolao, Hadriano, Ioanne, Marino, Hadriano altero, Stephano, & Formoso.

*N*ota, Lector, tempus, quando hæc ſcribuntur, Formoſi ſcilicet, anno primo, *μέχει τ̃ σήμερον, ad hodiernum vſque diem.* Et inferius, *τοὺς ἀναθεματισθέντας ἀκειβῶς παρὰ τ̃ πατέρων μέχει τ̃ νῦν. Anathematizatos à Patribus ad hunc vſque diem.* trigeſimo ſexto anno poſt dictam fabulam. Secundo inter horum annorum numerum non contineri annos illos, quos tribuunt dictæ Ioannæ, quos ſi clariſſime demonſtrauero, omnino non eſſe, certum erit argumentum; nec Ioannam, qui illis annis dicitur vixiſſe, fuiſſe, quos ſi reliquis Romanorum Pontificum addas, anni excommunicationis Photij non erunt quadraginta quinque, ſed quadraginta ſeptem, & amplius. vt Auctor vult in hoc loco, & inferius, *τοὺς μὴ λυθέντας ἐν ὅλοις τεσσαράκοντα πέντε χρόνοις, Non abſolutos per omnes quadraginta quinque annos.* Hoc aſſequendi illa erit ratio certiſſima. Primo Leonis anno Methodio Patriarchæ ſuccedit Ignatius. Is in Patriarcham conſecrandus, ne initiationi ſuæ intereſſet Gregorius de maleficijs reus factus, alio amandat. Interea per otium cauſa ipſius diligenter cognita exauctorat, vnaq; cum eo aſſeclas, & familiares, & inter eos præcipuum Photium laicum. Anno primo Nicolai, Ignatio à ſede deturbato ſubrogatur Photius ad illa vſque tempora laicus, ſpatio ſex dierum initiatus, & conſecratus Patriarcha per Gregorium excommunicatum, & mouet turbas in Eccleſia. Quare ita menſurandi ſunt hi anni. A primo Leonis, ad primum Nicolai annos vndecim tantum fuiſſe expreſſe docet illius temporis veriſſimus ſcriptor Nicetas in vita Ignatij. *Vndecim igitur ipſis annis Ignatius ab occupata primum Sede Conſtantinopolitana omni ratione conatus* &c. A primo Nicolai ad Formoſum reliqui triginta quatuor numerantur, ſi duos annos, & menſes Papiſſæ addes, alius erit numerus locupletior excommunicationis Photij, ſed mendax, & impudens, ſed præter rationem temporum. Quod vt ictu oculi aſſequi poſſis, an tabulam annorum Chriſti annis Pontificum reſpondentem.

847	Leonis I.	Methodio ſuccedit Ignatius.
848	II.	
849	III.	

850	IV.	
851	V.	
852	VI.	
853	VII.	
854	VIII.	Ignatius Synodo C.P. celebrata excommunicauit Gregorium Syracusanum. Eius condemnatio, audito Ignatio, confirmatur à Leone. Styl. Leo moritur 16. Kal. Augusti post 15. dies eligitur Benedictus.
855	IX. Bened I.	Gregorius ad Benedictum confugit tamquam iniuria lacessitus ab Ignatio, & Benedictus confirmat eius damnationem. Styl.
856	II.	
857	III.	In enumeratione annorum Benedicti mirum, vt Funcius ineptit.
858	Nicol. I.	Ignatius à Sede deturbatur, subrogatur Photius ad illum vsque diem laicus.
859	II.	
860	III.	Barda scholas aperit Byzantij.
861	IV.	Ignatius reuocatus iniuste a Conciliabulo Photiano damnatur.
862	V.	
863	VI.	Photius Romæ à Nicolao anathemate obstringitur.
864	VII.	
865	VIII.	
866	IX.	Bardas occiditur à Michaele.
867	X.	Pulso Photio a Basilio Ignatius restituitur.

868	Hadriani	I.
869		II.
870		III.
871		IV.
872		V.
873	Ioannis	I.
874		II.
875		III.
876		IV.
877		V.
878		VI.
879		VII.
880		VIII.
881		IX.
882		X.
883	Marini	I.
884	Hadriani	I.
885	Stephani	I.
886		II.
887		III.
888		IV.
889		V.
890		VI.
891	Formosi	I.

Augent vim argumenti non solum nomina, sed etiam numerus Pontificum expressus ὑπὸ τῶν ἐννέα προέδρων τῆς Ῥώμης, *A nouem Pontificibus Romanis*, quæ verba cum habeantur & in Codice Græco Vaticano M. S. & in cuso Coloniæ Gl. & sint maximi momenti, nescio qua ratione omiserit Interpres Latinus. Rationare igitur. Photius fuit excommunicatus à nouem Pontificibus Leone, Benedicto, Nicolao, Hadriano, Ioanne, Marino, Hadriano altero, Stephano, Formoso, per quadraginta quinque annos. ergo Ioannes iste qui ponitur inter Leonem, & Benedictum, non fuit. aliàs præter annorum numerum auctum, ipse etiam Pontificum numerus augeretur.

Breuiarium hoc Synodi in prospectu omniũ erat, cætera Romanis æque, ac Græcis patebát, si Græcos, sane Romanos, qui il-

luc

luc quotidie cõcurrebant fallere non potuisset. Arguissent Græcos ipsos de mendacio: numerum annorum, & Pontificum decurtatum mota lite obiecissent. Constantinopolitana ergo Romanam Ecclesiam ab iniuria, quam illi errones intulerunt, locupletissimo, ac certissimo testimonio vindicat.

Iisdem testimonio, & ratione fraus etiam eorum aperte detegitur, qui Ioannam hanc non inter Leonem, & Benedictum, sed annis, vel 853. vel 854. vel 857. vel 858. sedisse dicunt.

Paululum adhuc, Lector candide, Constantinopoli immoremur. Michael tertius, habes iam hominem, Imperator Constantinopolitanus, post optimam, piamq; sanctissimæ matris educationem, sceleratorum scurrarum vsu, pudore exhausto circa initia Pontificatus Benedicti, quem Papissæ successisse isti garriunt, repulsam ab Imperij administratione matrem Theodoram, in monasterium relegat, occisisq; probis viris, non sensim, & commodè, sed repentè in omnium nequitiarum sentinam corruit, omnium scelerum colluuione pollutus. Exarsit in leges politicas, in Ecclesiasticas sæuijt, veneranda, adorandaq; nostræ religionis mysteria, flagitiosissimus homo perdita audacia contaminauit. Eligit sibi ipsi ex scurrarum, mimorumq; sorde spurcissimos nebulones, horum nonnullos Diaconos, alios Sacerdotes, alios Musicos, horum omnium nequissimum, Patriarcham creat. Hos vestibus sacris indutos, comptosq; vt sacerdotalia sibi ipsi, & populo exerceant, mandat. Et maiestatis, dignitatis, & decoris Thronus horum ludibrio, fit ipso luto lutulentior. Sibi ipsi de hoc Imperator gratulatur, & plaudit: ita. vt non erubesceret publicè iactare sacrilegus, Mihi Theophilus, Cæsari Photius, Christianis Ignatius est factus Patriarcha. Quis continuisset hunc hominem, si Ioanna illo tempore in Throno Petri sedisset, ne adderet, & Ioannam Romanis, vt externorum etiam ludibrio, & exemplo sua flagitia comprobaret? Certè Romanæ Sedis reuerentia non fecit.

Et Ioannæ Pontificis Pontificatum, & mortem, si fuisset, nec ipse nec alius potuit ignorare. Etenim dissidijs inter Ignatium, & Gregorium primum, deinde & Photium, frequentes hinc inde legati, qui postea propter malè obitam legationem à Romanis Pontificibus exauthorati, & excommunicati, damnati sunt, missi. Propter iniuriam acceptam Romanæ Sedis dedecora non

siluis-

fluissent. qui si obmutuissent, alij permulti, & donis, & honoribus accumulati, non, quod verum fuisset, tacuissent, sed in gratiam benemeritorum nequissimè, quod non erat, finxissent. Qui enim habent manus venales, & animos, vt & linguam, & fidem venales quoque habeant, necesse est.

Considera, Lector, illorum temporum rationem. Iisdem fere temporibus, quibus in Oriente Imperator furit in sacra, Moguncíaci in Germania mulier Thiota nomine, vt tradunt Francorum annales, & Sigebertus in Chron. res Ecclesiasticas perturbabat. Etenim nouam se Prophetissam vocabat, vsurpabatq; publicè docendi munus, & concionandi. Hinc multi sacra doctrina postposita, eam quasi magistram cælitus destinatam secuti sunt: re postea detecta, Synodali iudicio damnata est. Habe lector, quod mihi in animo est certum, nec ambiguum. Posterioris seculi homines nonnulli, rudes illi quidem, & simplices, dum audiunt inter Leonem, & Benedictum, vel saltem illo tempore, Fœminam quandam Moguncíacam, non tantum prophetasse, sed prædicasse, obijsseq; alia munia, quibus Summi Sacerdotes decorantur, animum a fœmella, quam nec cogitasse tantum scelus credunt, aduertentes, ad Principem omnium Magistram Petri Cathedram scilicet, cuius id munus esse optime norunt, inducunt, & à Germania in Italiam, à Moguncíaco Romam transferunt. Alij, scelesti illi quidem maliotiosè, totum hoc in innocentissimum Petri Thronum traducunt, & Germanicam infamiam honoratissimæ Romanæ Ecclesiæ applicant. Vt facilius fallere possint, Ioannam istam Anglicam, Moguncíacam esse volunt; & lepidi fabulatores, perbellis, etsi fictitijs narrationibus vestiunt, & incomptè ornatam exponunt. Nec aliunde mihi videtur verisimilius, quàm à Moguncíaca ista, Ioannem Moguncíacum originem, cum tempora respondeant, habuisse.

Michael alter Constantinopolitanus Imperator, & Leo Achridanus superbissimi homines, post centum & septuaginta annos, quando iam non tum primo suspicio, sed improbum factum, sermo, atque fama secuta fuisset, à Leone Nono acriter vexati, quòd Constantinopolitanæ Sedis auctoritas, neque in pietate, neque in integritate, neque gratia accepta à Deo cum Romana comparanda esset, quòd in illa iam sederit aliquando

Fœmi-

Fœmina, æquo silentio tantum dedecus tulerunt, nec par pari reddiderunt Pontifici, opprobrium illi non minus intimum opponentes. Non habuerunt quid simile, quod opponerent, vt iniuriam pari iniuria, si potuissent, in Romanam Ecclesiam, homines procacissimi propulsarent.

Eo ipso tempore, quo Marianus scribebat, Auctor tractatus, qua ratione à recto veritatis tramite Latini aberrauerint, Περὶ τῆς τῶν Λατίνων αἰτίας, ὅπως ἀπέστησαν τοῦ ὀρθοῦ δόγματος, καὶ πότε. cuius principium, Κατὰ ποῖον καιρὸν, καὶ πότε, καὶ παρὰ τίνων αἱρεσιωτῶν οἱ Ἰταλοὶ ἐδιδάχθησαν, homo nequam, Romani nominis, & innocentiæ hostis scribebat, nouas machinatus artes, quibus Catholicam Ecclesiam impeteret, tamen in serie Pontificum nullam agnoscit Ioannam, sed Benedictum Leoni successorem fuisse tradit. τέθνηκεν, inquit, ὁ ῥηθεὶς Λέων, καὶ Στέφανος αὐτὸν διεδέξατο, τοῦτον Πασχάλιος, τοῦτον Εὐγένιος, τοῦτον Βαλέντιος, τοῦτον Γρηγόριος, τοῦτον Σέργιος ὁ καὶ Πελάγιος, τοῦτον Λέων, τὸν δὲ Λέοντα ὁ Βενέδικτος: Idest, *Moritur dictus Leo*, loquitur de Leone tertio, *hunc excipit Stephanus, hunc Paschalius, hunc Eugenius, hunc Valentius, hunc Gregorius, hunc Sergius, qui & Pelagius dicebatur, hunc Leo, Leonem autem Benedictus:* Et inferius, ὁ δὲ μακάριος Λέων ὁ τῆς Ῥώμης οὐ μισθωτὸς, ἀλλ' ἀληθινὸς ἀρχιερεὺς, καὶ γνήσιος ἐν ἀπορίᾳ ἦν, & paucis interiectis, παρῆλθε τὸν βίον Λέων οὗτος ὁ ἁγιώτατος, καὶ καθίστη τοῦτον διάδοχος Βενέδικτος ὁ θεῖος διάπυρος ὢν τοῦ ὀρθοῦ τῶν Χριστιανῶν δόγματος ἑλληνιστὶ παρὰ πάντων τῶν Ἰταλῶν τὸ τῆς πίστεως Σύμβολον ἀνομολογεῖσθαι ἐθέσπισεν. Idest. *Verum beatus Leo Romanæ Sedis non mercenarius, sed verus, & legitimus Pontifex anceps hærebat.* Et, *Sanctissimus hic Leo vita excessit, & huius successor factus est diuinus Benedictus, qui, cum maximo rei Christianæ, rectorumq; dogmatum propagandorum studio teneretur, ab omnibus Italis, vt Fidei Symbolum Græce pronunciaretur, præcepit.*

Auctor libelli de modo, quo Latini a Græcis separati primatu ceciderint, eiectiq; fuerint e Diptychis, cuius titulus, Διήγησις πῶς, καὶ τίνα τρόπον ἐχωρίσθησαν ἀφ' ἡμῶν οἱ Λατῖνοι, διὸ καὶ τῆς πρεσβείας αὐτῶν ἐστερήθησαν, καὶ τῶν διπτύχων ἐξεβλήθησαν, libri principium, Ἐν τῇ ἑβδόμῃ Συνόδῳ, ἦν Ἀδριανὸς Πάπας, quisquis ille fuerit, nomen quippe adhuc incertum, quod sciam. fuit ille quidem homo Græcus, odio atque acerbitate in Romanam maiestatem nemini secundus, initio libri Catalogum nonnullorum Pontificum concin-

concinnans, qui eō tempore, quo Ioanna iſta fœmina fingitur, Sedem Romanam rexerant, nullum alium inter Leonem, & Benedictum ponit. & inferius Benedictum Leoni ſucceſſiſſe apertis verbis fatetur. Διὰ τοῦτο καὶ ὁ Πάπας Λέων τὰς ἐν Σκευοφυλακείῳ οὔσας χαλκᾶς ἀσπίδας ἐγκεκολαμμένον ἐν ἑαυταῖς ἐχούσας τὸ ἅγιον Σύμβολον ἀνεστήλωσεν ἐν τῇ Ῥωμαίων Ἐκκλησίᾳ, εἰς ἀποτροπὴν μὲν τῶν τοιούτων αἱρετικῶν, στήριγμα δὲ τοῦ Χριστωνύμου λαοῦ. ὁ δὲ μετὰ Λέοντα Βενέδικτος ὁρῶν πάλιν ὑπὸ τῶν εἰρημένων αἱρετικῶν τὸν τοῦ Θεοῦ λαὸν λυμαινόμενον, διὰ γραμμάτων ἑλληνικῶν τε καὶ ῥωμαϊκῶν ἐκφωνεῖσθαι παρέδωκεν τὸ ἅγιον Σύμβολον Ideſt, *Propterea Leo Papa ſcuta ærea, quæ in Sceuophylaceio aſſeruabantur, quæque ſanctum Symbolum in ſemetipſis inſculptum continebant in Romana Eccleſia in ſublime erexit, vt ſimiles vitarentur hæretici, Chriſtianuſq; populus confirmaretur. Qui verò poſt Leonem ſucceſſit Benedictus, cum à dictis hæreticis iterum Dei populum lædi cerneret, literis ſcriptis cum Græce, tum Latine alta voce, vt Sanctum Symbolum recitaretur, tradidit.*

Idem repetit alius auctor, cuius nomen in occulto ad hunc diem latet, vtinam inſignis eius maleuolentia, & odium in Romanum nomen latuiſſet, in libello contra Romanam Eccleſiam cuius titulus, Διήγησις ἀκριβὴς κατὰ τῶν ἀρχιερέων τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, καὶ ὅπως ἀνεφύη ἡ τούτων αἵρεσις. Quippe narrationi de Leone Papa, & ſcutis æreis expreſsè ſubdit, ὁ δὲ μετὰ τὸν τοιοῦτον Λέοντα Βενέδικτος, καὶ αὐτὸς Πάπας. Ideſt, *Et qui poſt hunc Leonem Benedictus, & ipſe Papa.*

Si præcipuus horum Auctorum ſcopus eſt, vt odium in Latinos, atque infamiam dicendo excitent, vel leuiſſimis quandoq; hinc inde conquiſitis nugamentis, qui id credas tantum nefas, dedecuſq; in his libellis, quibus malignè Romanæ Eccleſiæ infamiam inurere modis omnibus tentant, hos auctores æquo ſilentio præterijſſe? Pietas in Deum, quem multis nominibus ſceleſtiſſimi offendunt, in Romanam Eccleſiam reuerentia, cui innocenti malignitate peſſima contumeliam faciunt, amor in homines Græcos, quos doloſi deludunt, non potuit, nec linguam, nec calamum impedire, ne fabulam hanc, ſi illam ſciſſent, ſcriptis mandarent. Et acuti ſane homines, dum illa ſcriberent, vt veriſimile eſt, examinauerunt omnia, conquiſiuerunt q; diligentiſſime, tandem animum ad ſcribendum appulere. In auctoribus, quos ipſi legerant, legiſſe autem multos illius temporis ſcri-

ptores

 126

ptores res ipsa tractanda cogebat, talis fabula certe non erat, quam, si fuisset, nusquam conticuissent.

Præterea in Dialogo Orthodoxi, Græci scilicet, vt Auctor Dialogi sibi autumat, cum Latino, de Azymis, & de Processione Spiritus Sancti, cuius principium. Λατῖνος. Διὰ τί ἀποσχίζεσθε ἀφ' ἡμῶν, καὶ οὐ συγκοινωνεῖτε ἡμῖν; dum de summorum Pontificum successione, illo ipso tempore, quo Ioannes Fœmina ponitur, differit, Benedictum post Leonem Ecclesiæ præfuisse scribit. Ecce illius verba. μανθάνει ταῦτα ὁ τῆς Ῥώμης ἁγιώτατος πάπας Λέων, λυπεῖται, ἀδημονεῖ. εἶτα τί; ἐξάγει μὲν ἐκ τοῦ Σκευοφυλακείου τὰς ἱερὰς τοῦ θείου Συμβόλου ἀσπίδας, ἃς ὁ ἁγιώτατος Λέων ὁ τὴν στήλην τῆς ὀρθοδοξίας συγγράψας ἀπὸ τῆς τετάρτης Συνόδου προεναπεθησαύρισε θείῳ κινούμενος πνεύματι, καὶ ἀναθέματι καθυπέβαλε τοὺς μέλλοντας μετακινῆσαι ἐκ τοῦ ἁγίου Συμβόλου τὸ οἱονοῦν, καὶ κατὰ πρόσωπον ταύτης τῆς Ἐκκλησίας ἀναστηλοῖ, πρὸς τὸ ἀναγινώσκεσθαι ὑπὸ πάντων· ἀλλὰ δὴ καὶ ἑλληνιστὶ εἰς ἅπασαν Ἐκκλησίαν τελοῦσαν ὑπὸ τὴν Ῥώμην κελεύει ἀναγινώσκεσθαι, καὶ μετὰ μέλους τὸ ἅγιον Σύμβολον. ὁ δέ γε μετ' αὐτὸν ἀρχιερατεύσας θεῖος Βενέδικτος καὶ εἰς πάντα τὰ Πατριαρχεῖα ἐπιστέλλει, μὴ δέξασθαι Πάπαν τῆς Ῥώμης εἰς κοινωνίαν, πρὶν ἂν τὴν ἑαυτοῦ ὁμολογίαν ὀρθόδοξον κομίσῃ πρὸς πᾶσαν τὴν τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησίαν. Ideſt. *Audit hæc Romanæ Sedis Pontifex sanctissimus Leo: dolet animo, mœretq; Quid inde? Sacra diuini Symboli scuta, quæ sanctissimus Leo, Fidei orthodoxæ, Columnæ ob firmitatem nuncupatæ, scriptor, diuino afflatus numine, iam inde à quarta Synodo, tamquam Thesaurum conseruarat, & omnes in diuino Symbolo, quid quid illud fuerit, mutare tentantes, anathemate ferijt, & Sceuophylaceio extracta in prospectu Ecclesiæ, vt ab omnibus legi possent, erexit. Quinimò per vniuersas Ecclesias Romæ subiectas Græce recitari, & cum cantu sanctum Symbolum præcipit. Qui vero post ipsum summo Sacerdotio præfuit Diuinus Benedictus, ad omnes Patriarchales Thronos datis literis, mandat, nullum post hac Romanum Pontificem in communionem recipi; ni prius suam fidei confessionem, quæ Orthodoxa fuerit, per omnem Christi Ecclesiam promulgarit.*

Putas ne Lector, Auctorem hunc, quisquis ille fuerit (Barlaamum Monachum, qui multis scriptis editis Romanam Ecclesiam deprimere conatus est, & rerum tractatarum ratione, & orationis stylo, ac methodo, alijsq; esse putant, & ego facile mihi persuadeo, cum omnia, quæ hic habentur in alijs Bar-

C laami

laami ſcriptis deprehenderim) ſic in Romanam Sedem iniurium, vt hoc libello, aliiſq; fere omnibus manifeſtum eſt, iniuriam hanc Ioannæ Fœminæ, ſiue calumniam, tunc cum omnibus modis dicenda erat, tacuiſſe? Næ ego fungus ſum, ſi credam.

Quin, inquies, Barlaamum, oppoſitum, & fabellam de Papiſſa veluti certiſſimam, tractatu Περὶ τῆς τοῦ Πάπα ἀρχῆς, qui incipit, Οἱ περὶ τὰς ἐπιστήμας δεινοὶ ὦ χρυσὲ Φερέζιωνε edito Græce, & Latine Salmaſij opera, typis Vecchelianis apud Claudium Narnium, Ioanne Luydo Interprete anno 1608. expoſitam fuiſſe, indeq; non leuem ſui argumenti ſumpſiſſe rationem. ſcribit namq; cap. 14. ἢ μᾶλλον ἵνα οἰκειοτέρῳ χρήσωμαι παραδείγματι, εἴπερ τις ὑπὲρ τῆς ἀκολάστου ἐκείνης γυναικὸς τῆς γινομένης Πάπα ἀπολογεῖσθαι ἐθέλοι, λεγέτω ὅτι ἐπειδὴ πρὸ αὐτῆς οὐδεὶς γυνὴ ἦν, οὐ δὲ αὐτὴ ἄρα. καὶ πῶς ταῦτα σώφρονος λογισμοῦ; Ideſt, vt vertit Luydus. *Aut potius, vt exemplo magis familiari vtamur, ſi quis impudicæ illius mulierculæ, quæ Papa fuit, cauſam velit agere, dicat, quandoquidem nulla ante eum fœmina Papa fuit, nec ipſam quidem fuiſſe. Quæ cum ſana, rectaq; ratione, quo tandem pacto cohærent?*

Dicerem Barlaamum ſequioris ſeculi ſcriptorem parum pium, & in Romanam Eccleſiam parum æquum, rumorem populi ſecutum, eam literis prodidiſſe. Quemadmodum alij Laonico Chalcondylæ exuli, rerum Romanarum imperito, & Pontificibus infenſo reſponderunt. At vti certiſſimam dixerit. Fides illius cum ſuſpecta ſit, teſtimonium improbum non admitto. Auctoritas namq; ſæpius diffamata, mendacijq; rea fidem non facit; nullum dat firmum, & graue teſtimonium. Inimico teſti non credimus. Sed cum à Barlaamo in hac re, neq; de tẽpore, neq; de nomine, neq; de aliqua alia re, quæ hiſtoriam reſpiciat, aliquid certi ſtatuatur, ſuſpicor ipſum aliter, ac nunc legitur ſcripſiſſe; & nomen vnum in locum alterius, incuria ſcriptoris, ſiue etiã data opera, vel ſola dictionũ affinitate irrepſiſſe. ſcripſerat enim λεγομένης, & ſcriptores literarum ſimilitudine decepti ſecundam lineam primæ literæ paululum erexere, caudamq; tertiæ in inferius detruncarunt, & pro recta Auctoris dictione, malam facere, illud γινομένης intrudentes. Nam Barlaamus fabulam rumore quodam inani populi diffuſam, veluti rumorem, & auram, eamq; leuem, titubans, non determinans in ſcriptis retulit; quod magis argumentationis illius vim explicat. Legendum,

itaq; ἢ μᾶλλον ἵνα οἰκειοτέρῳ χρήσωμαι παραδείγματι, εἴ τις ὑπὲρ τῆς ἀκολάστου ἐκείνης γυναικὸς τῆς λεγομένης Πάπα ἀπολογεῖσθαι ἐθέλει. Quasi diceret, vel potius vt exemplo magis familiari vtar, si quis pro impudica illa muliercula, quæ dicitur, nempe, siue illud verum sit, siue falsum, non discerno, tantum leuem auram, rumoremq; audio, & vellem, esset verum, vt magis familiaribus Latinis rationibus, Latinos arguerem, fuisse Papa, defensionem suscipere vellet. Neque enim adduci possum, vt credam tam aperte hunc virum sibi e contrario in eadem re aduersari.

Historici Græci fere omnes Romano nomini immerito infensi res gestas toto orbe terrarum scriptis mandarũt: si quid est, quod Romanis detrahat, vtinam non malitiose etiam quandoq; confictum propalant, tamquam buccinatores omnia voce replentes: quod laudi, est iniquissime detractum silent, dum in hæc tempora incidunt, quibus veluti victores ex inimicorum vesania iustissimum agere triumphum possent, reliqua omnia prosequentes, fabellæ huius nullam faciunt mentionem. Sed qui illius meminerint, quod nec somniasse vnquam potuissent?

Altum itaq; silentium in scriptoribus Græcis grauissimum, ac firmissimum erit argumentum, talem fęminam in Sede Pontificia nunquam sedisse. Siluerunt itaq; ergo non fuit; optima conclusio est. Inimico quippe si verbis, & contumelijs alterum dilacerat, neque quod in causa est effatur, facile credi potest. Neque enim verisimile est silentio prӕterijsse, quæ ad suam rem maxime conducerent.

A Græcis, si placet ad Latinos. Anastasius Bibliothecarius Sergij II. Leonis IV. Benedicti III. & Nicolai I. creationi præsens interfuit, inter Leonem IV. & Benedictum III. nullam Ioannam interserit, sed apertis verbis confitetur, post interregnum quindecim dierum, hunc Benedictum Leoni IV. surrogatum fuisse. Lupus Abbas Floriacensis epist. ad Benedictum III. Nicolaus Papa successor Benedicti III. epist. 8. & 9. ad Michaelem Imperatorem, & ea, quam scripsit ad Episcopos Suessionensis Concilij. Acta Concilij Tullensis sub Nicolao I. celebrati epist. Synodali Benedictum Leonis successorem nominant.

Nihil hac de re Ioannes Diaconus, Addo Viennensis, qui nono seculo scripserunt: nihil Regino, & Luitprandus, qui decimo: nihil Hermannus Contractus, Lambertus Scaffnaburgensis, qui

vndecimo : nihil denique subsequentium seculorum scriptores Ademarus, Hugo Floriacensis, Leo Hostiensis, Ioannes Cremonensis, Florentius Vingorniensis, Honorius Augustodunensis, Nicolaus Maniacutius, Conradus Abbas Vrsbergensis, Albertus Stadensis, Vincentius Burgundus, Matthæus Vesthmonasteriensis, aliiq; posteriores : Nihil manuscripti, & antiqui Indices Pontificum, quos videre contigit inter Leonem, & Benedictum.

Adde in scriptis Auctorum, quibus aduersarij ad fabellam corroborandam vtuntur, non haberi eo modo, quo ipsi somniant, & vellent. Illi namq; si id tradidissent, non affirmantium, sed hæsitantium, titubantiumq; in morem scripserunt, quos & posteriorum potior pars est secuta, interponentes illa. *Vt asseritur, vt fama est, vt dicunt, vt commemorant*. plebeam scilicet auram esse, sciolorumq; hominum rumorem, quem non probantes, sed contemnentes potius, lectoribus prudentissimis deridendum proponunt. Etsi nimis audaces Hæretici illa verba e multis codicibus, quod est Neotericorum ingenium, eraserint.

Vide si plura Lector de hac fabula apud Onuphrium Panuinium *in vitis Pontificum Platinæ*. Gilbertum Genebrardum *in Chronolog. anno 858*. Iodocum Coccium *in Thesaur. Catholi tom 1. lib 7. art. 14. pag 899*. Cæsarem Baronium *Annalium tom. 10. anno 853. pag. 810*. Bellarminium *Controuers. tom. 1. Controu. 3. lib. 3. cap 24*. Nicolaum Serrarium *in Historia Moguntiaca*. Iacobum Gualterum *in Tabul. Chronolog. secul. 9. pag. 569*. Seuerinum Binium *tomo 3. Concil. part. 1. notis in vita Benedicti Papæ pag 651. edit. Coloniensis*. Alanum Copum *Dialog. 1. cap 8*. Petrum Maturum *Annotat. in D. Antonini Chron. post Leonem IV*. Nicolaum Sanderum *de Visib. Monarch. Eccles. lib. 7*. Aubertum Myræum *in Sigeberti Chronicon*, Iustum Lipsium *epist. ad Franciscum Suuertium anno 1595. 5. Kalend. Mart. data*, cuius Autographum asseruari apud se, tradit idem Myræus *in Sigiberti Chron. pag. 107*. Simonem Maiolum *Colloq. 3. §. Mulier*. Iacobum Gretzerum *in Defensione Bellarmini tom. 2. lib. 3. cap. 24*. Iacobum Gordonium *lib 8. Oper. Chronol. anno 853. pag. 269* Franciscum Longum à Coriolano *in Breuiar. Chronol. anno 853. pag. 253*. & ante alios Floremundum Ræmundum libello de hac re edito Gallice, & Latine à filio,

lio, qui fabellam hanc exactissime pertractatam refellunt euidentissimis rationibus.

Idem præstitit, licet Pontificiæ dignitati parum æquus Papirius Massonus de Vitis Episcoporum Vrbis pag. 139. & Ioannes Auentinus Annal. lib. 4. longe diuersam ab hac huius rei tradit originem. *Albertus*, inquit, *locupletissimus Etruriæ Princeps Rauennam, Bononiam, Romam in potestate habuit. Eius Socrus Theodora scortum nobile, atque impensum Romæ dominabatur, Ioannemq; nonum amatorem suum Bononiensibus primo, deinde Rauennatibus, postremo Romanis imposuit, Primariumq; sacerdotem creauit. Vnde fabellam ortam crediderim, quæ temere vulgauit, hisce temporibus fuisse Sacerdotem Maximum fœminam, quæ appellata sit Ioannes.*

F I N I S.

